Allgemeine
Kirchen Zeitung.

Donnerstag 25. August 1825. Nr. 108.

Θεοῦ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς.
Aeschylus.

Neueste Seligsprechungen durch Papst Leo XII.

** Folgendes sind die päpstlichen Decrete über die im verflossenen Monate Mai in Rom vollzogenen Seligsprechungen, welche als Actenstücke um so mehr in der Originalsprache hier niedergelegt und mit diplomatischer Genauigkeit abgedruckt zu werden verdienen, je seltener dergleichen in Deutschland zur öffentlichen Kunde kommen.

1. *Leo PP. XII. Ad futuram rei memoriam.* — Umbriae, atque adeo Occidentis totius praecipuum decus Divus Franciscus Assisiensis demissionem animi, seu humilitatem = quae si omittitur, virtutum congregatio non nisi ruina est; = ut habet Divus Bernardus suis hortatibus, suoque exemplo asseclis institutae a se Religiosae Familiae praecipue colendam reliquit. Itaque, omni arrogantia, omni honoris appetentia, omni propriae virtutis opinione radicitus e corde avulsa, contra vero contumelias, ludibria, contemptus ultro atque hilariter subeundo, semper ex eo Ordine plures in humilitatis virtute se naviter exercuerunt; ut mirandum non sit, quum elationem animi tantopere aversetur Deus, illiusque demissionem impense diligat, seque demittentes atque abjicientes attollat, si in praeclaro Fratrum Minorum Ordine, humilitatis cultore, omni aetate ampla seges evectorum ad aras Heroum Sanctorum effloruit. Cujus virtutis novum tamquam lumen e modio subtractum ad spiritalem eorum fratrum, omniumque Christianorum utilitatem in Ecclesia lucebit *Dei servus Julianus a Sancto Augustino*, olim Laicos inter pientissimum institutum Divi Francisci professus; eique peculiari Familiae Minorum addictus, quae ab Observantia nomen adepta est. His enim a fel. rec. Praedecessore Nostro Pio VI. ob humilitatem praecipue, morum innocentiae sociam, amplissimum praeconium meruit in eo Decreto, quo, de sententia unanimi Generalis Congregationis Ritibus Sacris praepositae post habitas actiones antepraeparatoriam ac praeparatoriam, ut vocantur, illum die VIII. Junii Anni MDCCLXXVII. declaravit ad heroicum gradum pervenisse virtutum. Quum autem fel. item rec. Praedecessor Noster Pius VII., examine tribus pariter in actionibus instituto de miraculis, quae, *servo Dei Juliano* deprecante, patrata ferebantur, duo ex illis pro germanis prodigiis agnoverit per Decretum editum VI. Idus Septembris anno MDCCCXXII., idque Decretum alio Decreto cumulaverit die VI. Idus Decembris ejusdem anni, quo sanxit tuto ei posse honores Beatorum tribui, sane quaecumque pertinent ad hoc judicium omnia expensa, discussa, acta, absoluta sunt. Nihil igitur moram objicit, quominus obsequamur precibus universis Fratrum Minorum Ordinis, quibus olim cl. me. Philippus III. Hispaniarum Rex Catholicus, Isabella Regina, Archiepiscopus Toletanus cum suorum Canonicorum Collegio, cum Clero, et cum Toletana Academia, aliique dignitate ac pietate praestantes viri sua studia ac postulata junxerunt, quique omnes *Dei servo Juliano* ab Apostolica hac Sede sacrum honorem quaesierunt. Quapropter sententiae Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum inhaerentes, Auctoritate Apostolica concedimus, et indulgemus, ut *Dei servus Julianus a S. Augustino*, cujus animo bonorum Largitor Omnipotens clarissimarum virtutum germina insevit, et ad heroicam altitudinem provexit, cujusque sanctimoniam, et coelestem felicitatem, editis prodigiis, testatus est, Beati nomine nuncupetur, ejus Corpus ac reliquiae (non tamen in supplicationibus quae sacras Reliquias circumferendo fiunt) colendae proponantur, imagines radiis ornentur, Officium denique ac Sacrificium, fiat cum approbata a Nobis Oratione juxta Romanas rubricas de communi, ut dicitur, Confessoris non Pontificis die VIII. Aprilis, qua mortali functus est vita, tum in Dioecesi Seguntina,

intra cujus limites ortum habuit, tum in Dioecesi Toletana, in qua corporeis evolavit e vinculis, tum in Ordine Fratrum Minorum universo. Ac, quod spectat ad Sacrificium, pertinere hoc Indultum volumus etiam exteros ad Sacerdotes, quicumque eo die in earum dioecesium, Ordinisve templis rem divinam facient. Praeterea concedimus, et indulgemus, ut anno dumtaxat ab hisce datis Litteris primo, in Indiis vero intra decursum anni, qui initium sumat a die, quo Nostrae Litterae delatae illuc fuerint, celebrentur solemnia Beatificationis *servi Dei Juliani* in templis Dioecesium et Ordinis, de quibus habita est mentio, cum Officio et Sacrificiis duplicis majoris Ritus. Quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinariis Sacris Praesidibus indicenda, ac post quam ea solemnia in Vaticana Nostra Basilica augustis cum ceremoniis fuerint celebrata; cui Nos sacrae pompae Vaticanae diem XXIII. hujus ipsius Mensis atque Anni statuimus. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta sint; et Sigillo praefecti munita, eadem prorsus, in disceptationibus quoque judicialibus, fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significatione, ipso hoc Diplomate ostenso haberetur. Dat. Romae apud S. Petrum die VI. Maij MDCCCXXV. Pontificatus Nostri Anno secundo.

2. *Leo PP. XII. Ad futuram rei memoriam.* — Ex omnibus virtutum documentis, quae Dominus, ac Salvator Noster *Jesus Christus* in terris degens Nobis reliquit, illud maxime commendat Apostolus, quo vere incomprehensibilis humilitatis, ac obedientiae Auctor extitit et Magister. Hisce eximiis virtutibus cum saevissimo humani generis hoste congressus, de eo plane triumphavit, ejus Regnum destruxit novumque sibi constituit, quod in extremas usque Mundi plagas pertingeret, et ex omnibus populis, ac linguis constaret. Quicumque igitur Ejus militiae adscribi, et charismata meliora aemulari student, ii in omnimoda sui abnegatione, humanarumque rerum contemptu se assidue exerceant oportet, ut de iis vere possit dici, quod ad promissum Regnum a Patre dandum humilitate pervenerint. Coelestis autem Agricola, qui Vineam suam plantavit, irrigavit, eique incrementum dedit verae humilitatis et exemplar, et praemium, nullum praeterlabi tempus patitur, quia in hac Vinea laborantibus, cunctoque suo Gregi nova in dies virtutum exempla proponat, quae totidem sunt incitamenta, ut illa pro viribus imitemur. Novit enim Dominus figmentum nostrum, novit qua ratione veritatis, ac salutis, tramitem alacrius, ac expeditius percurrere valeamus. Ubi igitur terrestris illa Jerusalem adhuc militans, perpetua illius, quae sursum est, aemulatrix, et socia, animadvertit quorumdam decedentium Christi Servorum, qui cum mundo, ac veternoso serpente carnem quoque vicerunt, famam percrebrescere virtutum et prodigiorum coruscare fulgore, venerationem ipsorum, et cultum, multimoda, ac varia ratione permittit, adauget, et praecipit. Qua quidem celebritate, et Deo vero de illorum victoriis gratias agimus, et nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriae renovatione adhortamur. Unus tot inter eminet nunc profecto *venerabilis Alphonsus Rodriguez*, cujus eximiis virtutibus jam rite comprobatis, miracula quoque accesserunt. Is enim Segoviae honesto loco natus die Jacobo Apostolo Hispaniarum Patrono sacra An. MDXXXI. adhuc parvulus tanto in Deiparam Virginem, maxime quae colitur sub titulo sine labe peccati originalis concepta, aestuabat amoris, ac pietatis sensu, ut ejus Imagines peramanter deoscularetur, ejusque patrocinium enixe imploraret. Neque vero Virgo ipsa haec amoris, ac benevolentiae erga se signa, sine fructu abire passa est. *Alphonsus* enim ubi prole, ac uxore orbatum se vidit, statim spretis Mundi illecebris, ac mercaturae, quam exercebat, valedicens totus in rerum coelestium contemplatione, aliisque piis operibus fuit, donec tandem Valentiam cogitavit, Religiosae cuidam Familiae nomen daturus. Quo factum est, ut ex sui conscientiae moderatoris consilio, et ex coelesti quadam specie sibi in somnis objecta, in Societatem *Jesu* inibi fuerit cooptatus pridie Kalendas Februarii MDLXXI. aetatis suae quadragesimo. Eo autem loci tanta edidit demississimae humilitatis, ac singularis obedientiae argumenta, ut Nonis Aprilis MDLXXIII. prima post Tirocinium vota, anno vero MDLXXXV. eodem die, et mense eadem paupertatis, castitatis, ac obedientiae simplicia vota publice emiserit. Quare *Alphonsus* hoc Religiosae vitae institutum ingressus, ad perfectiora semper intendens animum, adeo de se humiliter sentiebat, ut viliora quaeque, ac abjectiora officia ultro, ac libenter obiret, et illud Janitoris praesertim adamavit, quo tota fere sua vita functus est. Neque vero minus obedientia excelluit; voluntate enim sua plane seposita, nihil gerere, nihil loqui sibi fas esse ducebat, nisi sui Praesidis accederet consensus. Accuratissima in eo erat vel minimarum legum custodia, singularis Mundi contemptus, implacabile odium sui; charitas denique tam fervens, ut corpus jejuniis, ciliciis, cruentis flagellis, omni denique asperitatum genere cruciarit, ac in servitutem redegerit. Tandem ultra octoginta sex annos natus, post acerrimam pugnam, cum Angelis, qui suum non servaverunt principatum, diu, multumque etiam visibiliter perpessam, in Insula Majorica, praeclarissimam vitam, cum pretiosa in conspectu Domini morte commutavit. Tot itaque tantisque Viri meritis longe, lateque fama pervulgatis, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum causa deducta est, ubi de virtutibus aestimandis ex Romanae Ecclesiae disciplina quaestio de more haberetur, fel. rec. Clemens PP. XIII. Praedecessor Noster Octavo Kalendas Junias Anni

MDCCLX. ejus virtutes accurate diligenterque discussas, ac perpensas, suo Decreto approbavit, et in gradu heroico eas collocatas esse pronunciavit. Porro coram Nobis ad totius Ecclesiae regimen inscrutabili Divinae Providentiae consilio, meritis licet imparibus, vocatis, duo ex miraculis, quae discutienda proponebantur, Consultorum suffragiis, et Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium praedictae Congregationis praepositorum sententiis consentientibus, probanda esse censuimus, et Decretum super eisdem proferre, et promulgare voluimus pridie Kalend. Augusti Anni MDCCCXXIV. postquam ad Aedem Societatis *Jesu* Principem accessimus, ibique ad Sancti Ignatii sepulcrum provoluti, quod tanta Populorum frequentia celebratur, Rei Divinae interfuimus. Eam vero diem ideo delegimus, ut Sanctitatem invectam in hac Ignatiana Familia ad gloriam Dei, utilitatem Ecclesiae, Fidei propagationem, ac defensionem, Christianae Juventutis institutionem, pietatis restaurationem condita, ac restituta, in ejus Alumnis in dies adolescere, novis ac mirificis argumentis constaret. Quapropter precibus tandem totius Societatis *Jesu*, quibus olim universa Dioecesis Majoricensis, aliique dignitate, ac pietate praestantes Viri sua studia, ac postulata junxerunt, benigne annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, et assensu, Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ut idem Dei Servus *Alphonsus Rodriguez* in posterum Beati nomine nuncupetur, ejus Corpus, et Reliquiae venerationi Fidelium (non tamen in supplicationibus quae Sacras Reliquias circumferendo fiunt) colendae proponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, Officium denique, ac Sacrificium fiat cum approbatis a Nobis orationibus juxta Romanas Rubricas de Communi Confessoris non Pontificis, die XXX. Octobris tum in Dioecesi Segoviensi, intra cujus fines ortum habuit, tum in Dioecesi Majoricensi, ubi extremum vitae clausit diem, tum in universa Societate *Jesu*. Quod autem spectat ad Sacrificium, hoc Indulto complecti volumus exteros quoque Sacerdotes quicumque eo die in earum Dioecesium, ac Societatis *Jesu* Templis rem divinam facient. Praeterea concedimus et indulgemus, ut Anno ab hisce datis Litteris primo, in Indiis vero Occidentalibus intra decursum Anni, qui initium sumat a die quo Nostrae Litterae delatae illuc fuerint, celebrentur solemnia Beatificationis *Servi Dei Alphonsi* in Templis Dioecesium, ac Societatis, de quibus facta jam mentio est, cum Officio, et Sacrificiis duplici majoris ritus. Quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinariis Sacris Praesidibus indicenda, ac postquam ea solemnia in Basilica Vaticana Nostra fuerint expleta, cui Nos Sacrae Pompae diem XII. Mensis Junii hujus Anni statuimus. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita eadem prorsus in disceptationibus quoque judicialibus, fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Mensis Maji MDCCCXXV. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

3. *Leo PP. XII. Ad futuram rei memoriam.* — Sacrosanctam Christi Ecclesiam = adstitisse Reginam a dextris Dei in vestitu deaurato circumdatam varietate = Regius concinit Psaltes, tum quod suorum fidelium vita omni virtutum genere lucet, splendetque, tum quod admirabilis est eorum potestatis, ordinis, status, et conditionis varietas. Alii enim Ecclesiastica dignitate, et potestate fulgent, alii regularibus ordinibus addicti, absconditam in Claustris vitam agunt, alii demum ipso in saeculo degentes, mundana arbitrati, ut stercora per angustam, et asperam perfectionis semitam incedentes, charismata meliora aemulantur. Quorum omnium, licet variae sint gratiarum administrationum, et operationum divisiones, uti docet Apostolus, idem tamen est Deus = Qui omnia in omnibus operatur = Ex iis autem, qui in Mundi strepitu viventes, morum innocentia, integritate, ac sanctitate vitae caeteris praestitere, *Hippolytus Galantini* jure merito habetur. Is enim Florentiae natus pridie idus Octobris anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto ex honestis Genitoribus Philippo Galantini, et Ginevra Zuffoli, tenui quidem censu, sed christiana pietate conspicuis; Ex Genitoris exemplo, et voluntate textriuam artem sericam exercuit. A prima vero aetate non levia profecto edidit futurae sanctitatis indicia, nam et modestia, et pietate, et morum docilitate, et in parentes obsequio, adeo excelluit, ut annos vix novem natus, dignus fuerit habitus, qui caelesti reficeretur convivio. Hac Angelorum esca enutritus, et altius, arduum virtutis iter adeo instituit, ut duodecimum aetatis annum attingens jussu fel. rec. Alexandri Medici, primum Archiepiscopi Florentini, tum Leonis Undecimi Praedecessoris Nostri, eos interfuerit adlectus, qui fidei rudimenta pueros edocerent. Quo quidem in munere ita se gessit *Hippolytus*, ut eos non tam verbo, quam exemplo ad Dei cultum, omnemque pietatem informaret, atque institueret. Vehementiori deinde flagrans desiderio se arctius copulandi Deo, asperum aliquod religiosae vitae institutum capessendum curavit. At Deus, qui in servo suo mirabilia operari intendebat, rem ita disposuit, ut mundanas inter varietates, paterna in domo, ac inter familiaris rei angustias, laboresque, reliquum vitae suae tempus transigens, ibi = fixum cor haberet, ubi vera sunt gaudia = Hac itaque divina voluntate perspecta, ad eam explendam se totum convertit, initaque cum Sancta Maria Magdalena de Pazzis spirituali Familiaritate, communi etiam hominum consuetudine fruens, eam sibi vivendi rationem proposuit, quae arduum quodvis religiosae vitae genus coaequaret. Namque ciliciis, flagellis, jejuniis, ac vigiliis reluctantes corporis vires extenuare, animum vero assiduo sacramentorum, et orationis

pabulo recreare, et reficere satagebat, ne quid perfectionis, et virtutis semitam ab se alacriter susceptam retardaret. Mira proinde in eo humilitas, mira tot in adversis tolerantis patientia, mira in Deum charitas, mirus castitatis amor, quo fragrantissimum virginitatis lilium quasi inter spinas ad obitum usque integrum inviolatumque servavit. Illud tamen maxime mirandum, quod homo nullis ceteroquin litteris imbutus, nulloque ordine insignitus, de spirituali suorum proximorum salute sollicitus, tamquam lucerna ardens super candelabrum posita, lucis suae radios undique diffuderit, ac propagavit. Novus profecto Florentiae Apostolus, quem supra commemoratus Leo Undecimus tamquam perfectissimum virtutum omnium exemplar ad Christianam pietatem instaurandam acerbissimis illis temporibus, Gregi suo imitandum proponebat, velut alter Philippus Nerius. Dei spiritu succensus, et animarum Zelo exardescens, secularium hominum sodalitatem, modesto, et uniformi amictu distinctam instituit, in qua non pueri modo, rudesque homines fidei Mysteriis, et Christianae religionis praeceptis apprime imbuerentur, verum etiam artifices, et plebeji ad pia obeunda opera, atque a Mundi illecebris, ad virtutis semitam terendam vel facile adducerentur. Neque id satis fuit *Hippolyto;* ut enim tam pium, ac salutare institutum constabiliret, sapientissimis illud legibus anno millesimo sexcentesimo secundo communivit, unde amplissimi in sodales, puerosque christianae fidei praecepta, ac instituta, edocendos, fructus emanarunt. Propagato denique tam pio religiosoque Christianae Doctrinae instituto per Mutinensem, ac Lucensem ditiones, aliasque Italiae regiones, fundatos *Hippolytus*, quintum supra quinquagesimum aetatis annum agens, meritis cumulatus, Prophetiae dono, aliisque charismatibus exornatus, gravi molestoque morbo correptus, Ecclesiae Sacramentis devotissime susceptis, caelestibusque recreatus visionibus, post quam sodales suos ad virtutum omnium, maxime vero charitatis exercitium fuerat adortatus, ipsis merentibus, in osculo Domini Florentiae vitam suam cum beata convertit aeternitate decimo tertio Kalendas Aprilis anni millesimi sexcentesimi decimi noni. Percrebescente autem in dies clarissima ejus sanctimoniae fama, ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum causa delata est, ubi de virtutibus aestimandis, ex Ecclesiae disciplinae praescripto, quaestio de more haberetur, fel. rec. Praedecessor noster Benedictus decimus quartus in gradu heroico constitutas eas esse die decima tertia Decembris anni millesimi septingentesimi quinquagesimi sexti suo decreto pronunciavit. Nos itaque, qui ex divina dispositione meritis quamvis imparibus cuncto Dominico Gregi praesidemus, tot virtutum heroicarum exempla omnibus Christi fidelibus, iis praesertim, qui in saeculo vivunt, plurimum accommodata animadvertentes, nostrae apostolicae servitutis esse ducimus tanti viri honorem et venerationem, quantum nobis ex alto conceditur, ad majorem Dei gloriam promovere, ut ex illo fideles, tanquam e speculo, rectam vivendi normam exprimere, et ad pietatis, religionisque praecepta, ac instituta, mores suos studeant conformare. Primum igitur, ejusdem sodalitatis leges, ac instituta supra commemorata, serio, attenteque perpendimus, eaque sapientissima, et maxime proficua sodalibus, ac pueris reperta, judicio nostro approbavimus, et gratulamur quammaxime, dilectissimum in Christo filium nostrum Leopoldum Secundum magnum Etruriae Ducem eximium paternae pietatis aemulatorem, eamdem Sodalitatem, unde tot commoda in Christianam, civilemque Rempublicam proficiscuntur, augusto suo patrocinio, ac singulari munificentia plane digna existimare. Mature deinde, diligenterque discussis, et perpensis a praefata Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum processibus de Apostolicae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutum tam Theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus *Servum Dei Hippolytum* Congregationis Doctrinae Christianae Fundatorem multipliciter claruisse, nec non super miraculis, quae ex ejus intercessione, ad ejus sanctitatem hominibus manifestandam, a Deo edita, et patrata fuisse dicebantur, eadem Congregatio coram nobis constituta, auditis quoque consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuit posse, quando cumque nobis videretur, praedictum Dei Servum Beatum declarari cum omnibus indultis, donec ad actum solemnis illius Canonicationis deveniatur. Quare nos piis, enixisque sodalium Congregationis Doctrinae Christianae ac dilectorum filiorum Magistri Cosmae de Cursiis Causarum Palatii nostri Apostolici Auditoris, nec non Presbyteri Salvatoris Nicolai hujus causae compostulatorum supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de dictae Congregationis Cardinalium consilio, et assensu, auctoritate Apostolica tenore praesentium facultatem facimus, et impertimur, ut idem *Dei servus Hippolytus Galantini* Beati nomine deinceps nuncupetur, ejusque Corpus, et Reliquiae (non tamen in processionibus circumferendae) venerationi fidelium exponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis recitetur Officium, et Missa de Communi Confessoris non Pontificis, cum orationibus propriis a nobis approbatis juxta rubricas Breviarii, et Missalis Romani. Recitationem vero Officii, Missaeque celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat Florentiae, ubi ortum habuit, et in ejus Dioecesi, atque in omnibus Ecclesiis, ubi eadem Sodalitas, seu Congregatio Doctrinae Christianae a Venerabili Dei Servo instituta reperitur die vigesima Martii, quae est ejusdem decessus anniversaria ab universis Christifidelibus tam Saecularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur. Et quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea concedimus, et indulgemus, ut anno ab hisce datis litteris primo celebrentur solemnia Beatificationis *Servi Dei Hippolyti* in Templis Dioecesis, et sodalitatis, de quibus facta jam mentio est, cum officio, ac Sacrificiis duplicis majoris ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinariis Sacris Praesidibus indicenda, ac postquam ea solemnia in Basilica nostra Vaticana fuerint expleta, cui nos sacrae pompae diem decimam nonam Mensis Junii hujus anni statuimus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis, quibuscumque: Volumus autem, ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis subscripta sint, et sigillo praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus quoque judicialibus, fides habeatur, quae nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI. Maii MDCCCXXV. Pontificatus Nostri Anno Secundo.